

Querela contra Stephanum Gerdak.

Articulus 56.

Item, quum publica totius Comitatus Soproniensis querela sit facta contra Stephanum Gerdak et Christophorum Alya, de gravissimis violentiis eorum, circa occupationem bonorum, orphanorum quondam Bernardi Gróff (de Frangepan) et Castelli eorundem, iniquam cum nece multorum defensionem facientes:

§. 1. Statutum est: hanc causam in primo Judiciorum Octavalium termino, extra seriem cognosci et revidere debere.

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1572.

Nova portarum fiat connumeratio.

Articulus 5.

Novam etiam portarum connumerationem, tam in Ungaria, quam Sclavonia, Status et Ordines Regni admittendam, unanimiter censem; juxta priores Articulos Anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi noni *).

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM V. ANNI 1572.

Judicia Regni Sclavoniae.

Articulus 7.

In Sclavonia vero, judicia publica bis in anno, in Civitate Zagrabensi montis Graecensis celebrentur, hoc est; primo, pro festo Epiphaniae Domini, et secundo pro festo Beati Jacobi Apostoli.

§. 1. Et singuli judiciorum termini, durent singulis diebus quadraginta, exceptis festis: Quibus intersit Dominus Episcopus Quinque-Ecclesiensis **).

§. 2. Transmissiones autem ex Sclavonia deductae; revideantur hic Posonii, more antiquitus observato ***).

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM VI. ANNI 1574.

Vice-Banus, Proto-Notarius, Vice-Comites et Judices Nobilium in Regno Sclavoniae, suis salariis contenti; dicam e bonis suis solvere procurent.

Articulus 2.

Quoniam autem in Regno Sclavoniae, Vice-Banus, Vice-Proto-Notarius et Vice-Comites, Judices Nobilium et eorum Vices Gerentes, dicam Regiam, ex quadam consuetudine in bonis ipsorum detinuisse dicuntur:

§. 1. Deliberatum est; ut si Majestas Sua praedictis Vice-Bano, Vice-Proto-Notario, Vice-Comitibus, Judicibus Nobilium et eorum Vices-Gerentibus

*) Nempe art. 7. An. 1569.

**) Scilicet Joannes Monoszlói, seu de Monte Claudi.

***) Adde, An. 1659. a. 87. et 88.